

B. 209.

⁹
¹⁰
M. GODOFREDI HOFFMANNI

GYMNASII ZITTAVIENSIS

RECTORIS OLIM MERITISSIMI

MEMORIAM

A. D. VI. FEBRUARII

CICCCCC.

HORA IX. ANTE MER.

RENOUATUR US

AD ORATIONEM SOLEMNEM

FAUTORES BENE MERITORUM

OMNI QUA PAR EST OBSERUANTIA

INITAT

M. AUGUSTUS FRIDERICUS GUILIELMUS RUDOLPH.

GYMNASII ZITTAV. DIRECTOR.

INEST

DE IUVENE AD VITAM ACADEMICAM MATIRO PARTIC. IV.

ZITTAVIA, TYPIS GOTTLIEB BENJAMIN FRANKII.

SCHMIDTENS AVENSI

*De iuuene ad vitam academicam maturo.**Partic. IV.*

Hæc omnia, de quibus a multis multa scripta sunt, copiose disputare, non est nostri instituti; nam partim ante ab alumnis percepta esse debent, quam in scholas eruditas recipientur; partim ipsa præparatione ad vitam academicam continentur, vt postea de iis dicendum sit; partim suo cuiusque eruditæ studio relinquenda et commendandaunt. *De cognitione religionis*, sine qua nemo sit in academiam dimittendus, vberius dicendum videbatur; sed, ne ista tractatio, quam hic inferendam elaborau, quum paucis particulis absolui non possit, nimium me retineat: eam coronidis loco olim exhibutus, nunc illud tantum ponam, quod ea efficere et explicare studui: non omnem theologiam, quam vocant, e scholis esse expellendam; in populari religionis doctrina non esse acquiescendum, sed curandum, vt non modo ii, qui theologiae olim studebunt, doctrinam quandam cognitionem, ad quam doctior ratio in academiis facilius adhaerescat, adipiscantur; sed vt ii quoque, qui ICtorum et Medicorum auditores futuri, theologiam non amplius curare solent, cognitionem grauissimæ huius rei accipient docto homine dignam, i. e. accurate explicatam, et docte subtiliterque probatam; ne, quum nec quid statuatur, nec quibus rationibus statuatur distincte intel-

lexe.

lexerint, tandem auctoritatis praeceptorum scholasticorum pertæsi, religio-nem quam suscepérunt aut superciliosi contemnant et dissolute negligant, aut insi-cete rideant et temerarie impugnent. Quemadmodum autem in iudicanda maturitate ad vitam academicam etiam religionis scientia spectari debet, ita reliqua supra (p. 24.) exposita, quæ nec magis nec minus idoneum ad litera-rum studia, sed ad vitam communem magis minusue instruētum reddunt, nec in literatis scholis tractanda, nec ad judicandam hanc maturitatem ad-hibenda censeo; ea potius ea lege eoque modo discipulis commendau-e-ri, vt quantum temporis ab iis vacuum sit disciplinis, quas tanquam eruditio discere debent, id, non legendis comoediis miseris et fabulis Milesis, aut chartarum lusu perdant, sed in augenda istarum rerum cognitione, parando-que faciliori artium vsu consumant.

Sectio II.

De perfectione eruditorum propria in scholis affèquenda.

Primo, vt proposui, (p. 21.) de formalī cultura eruditū agendum, seu docendum est, quo modo mens studiosi, ad altiora eaque liberiora studia transiſturi affecta esse debeat. Omnis hic sensus ad sincerum literarum & veri amorem referri posse mihi videtur, dummodo amoris vocabulum, pro-ut rei natura postulat, non de dulci quadam et delicata propensione intelli-gatur, sed de veneratione et studio, quibus rei atque personæ dignitatem et præstantiam prosequimur.

Ad hunc igitur amorem, quem postulo, primum pertinere arbitror, ut literarum veritas et humanitas ipsu expetatur et magni aestimetur; uti-tate vero non definiatur, an iis operam dare, sed quibus præ ceteris studiū

impendere debeamus. Non dubito, fore multos, qui hanc regulam verissimam putent, et tanquam ex ipsorum animo exscriptam et expressam agnoscant. Hi igitur candidi homines veniam mihi dabunt, huic rei aliquantulum inherendi. Sunt enim multi, qui, ad utilitatem cuncta reuocantes, literarum quoque dignitatem *utilitate sola* metiantur; quorum sententia, si, eos reprehendat, et ad officii memoriam reuocare studeat, qui, neglectis studiis necessariis et ad vitam utilibus, in re inani eaque obscura et difficulti vnicce elaborant et strenua inertia exercentur, profecto quo defendi possit habet, et commendabilis videtur; sin literarum studia omnino non nisi propter utilitatem agitanda statuat; eam deferendam, iisque relinquendam censeo, qui, opificium doctorum nomine contenti, ipsam eruditum hominis dignitatem et præstantiam nec capere nec intueri possunt. "Tu nobis etiam is es, quo auctore et monitore utamur. Ita igitur doctissimum censes quemque, ut maxime abhorret ab utilibus studiis, ut maxime animi corporisque viribus nulla vera utilitatis spe ductus abutitur. Doctissimum eiusmodi hominem fieri posse concedimus; sed eundem ineptissimum futurum esse, omnes sani prouidentur. Tu igitur humanissimos et prudentissimos homines, quia inanibus studiis non delectantur, sed quid utilissimum sit vnicce anquirunt, mercenariorum et opificium sordidorum loco numerare non dubitas? Utinam, deposita vestra morositate et difficultate scholastica, ex istis, quos maxime commendare soletis, auctoribus græcis et latinis non verba didicissetis, sed res; non ornatum et compositionem vocabulorum, sed mentis ornatum et sanitatem. Ideo Petronius inquit (Sat. p. 1. ed. Lotich.) *adulescentulos exstimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt, aut vident.* An dictionum aucupio adeo estis intenti, ut quae prudenterissime a *Socrate*, aut grauissime a *Seneca*, *Antonino* aliisque monita et præcepta sunt, plane effluere patiamini? num tanta est apud vos sermonis veterum auctoritas et dignitas, ut consilia nostrorum hominum sapientissima aut non lega.

legatis, aut contemnenda putetis“? Hac et multo plura audire mihi videer,
atque profecto gravissima reprehensione dignum ipse putarem, qui ab utili-
um et necessiarum rerum studio ad res inanes discentium animos conuer-
tere studeat. Sed tale consilium a mea affirmatione longissime remotum
est. Non improbantur, qui utilissima quaeque expertunt, sed qui literarum
studia ab utilitate sola commendant; eos enim ita præcipere arbitror, ut
non modo præcepti ambiguitate facile fallant, sed ut etiam scientiae et litera-
rum dignitatem verborum lenociniis obscurent.

Etenim utilitas varia est et multiplex; agrum colere utile est, utile
est colere animum; ars sanandi habet utilitatis plurimum, utiles quoque
mordi saepe fuerunt; boni libri utilitatem afferunt, mali etiam; artem su-
am didicisse quis negabit utilissimum, sed quis non videt, etiam eos studere
suis commodis, qui in vario ludorum genere se exercent; denique nulla res
tam abiecta est, nec ullum studium tam exile, quin aliqua eius utilitas partim
excogitando inueniri, partim sapienti usu percipi possit. Quid igitur? Qui
utilitate studia terminare volunt, ii et arbitrio cuiusque ea reliquunt, et lucro
tradunt. Tardi enim et pigri et illiberales nullam videbunt utilitatem, præ-
ter eam, quæ ventriculum aut loculos compleat; apud delicatos et molles
sola mentis delectatio, aut adeo corporis voluptas, utilitatis judicium reget;
ita quisque in studia irrumpet, in hisque grassabitur, ut ipsum animus et im-
petus feret, et ne temerarie ferri videatur, aliqua utilitatis specie et comme-
moratione efficiet; nec ita poterit feliciter corrigi, ut res utiles ab utilio-
ribus et utilissimis distinguere eum cogamus; ubi enim reperiatur ingenium
tam excellens tamque diuinum, quod in tanta rerum varietate ordinem et fi-
nes earum probabiliter constituere possit. „Iniania hæc sunt omnia, et con-
tra umbram quandam prolata, neque enim de utilitate rerum omnino et per
se, sed de utilitate ad certum vitae et negotiorum genus dicitur.“ Audio. Sed

num

num de iis dicitur solis, quæ proxime faciunt ad genus quoddam vitæ, an
 de iis etiam, quæ remotius prosunt. Si placeat illud, ne ea quidem o-
 mnia est cur discamus, quæ quisque discenda putat. Qui enim ea tantum
 discere velit, quæ proxime ad eam rem, cui se dedit, spectant, eum nec in
 scholas literatas inuitarem, nec ad academicos præceptores mitterem, sed
 quum in ludo quodam ea didicisset, quorum nemo debet esse expers, ad verbi
 diuini ministrum, aut caussarum patronum aut medicum, quorum quisque mul-
 tum in sua re vsum haberet, ablegarem, vt quarum rerum nunc disciplinam
 et rationem a pluribus assequi studet, eas vnu quodam et experimentis ab
 uno accipiat. Hac enim via etiam profici posse, omnium eorum
 exemplo constat, qui nec in scholis profecerunt, nec in academiis lite-
 ras coluerunt, sed postea, quum ad actionem ventum esset, primo ali-
 os initati post etiam ipsi periclitati, vento secundo magnum nomen
 adepti sunt. Sin etiam remotiora studio censeant digna, non amplius studia
 utilitate retinebunt, sed ea etiam excitabunt. Quum enim, vt præclare ait
 Cicero, omnes artes, que ad humanitatem pertinent, quoddam habeant com-
 mune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineantur: non pot-
 erunt utilitate definire, quid discendum sit, quid non, sed, id quod etiam
 atque etiam inculcandum censeo, quid prius, quid deinceps. Sed ponamus,
 prius illud placere, scholas et academias, quæ passim male audiunt, negli-
 gendas et deserendas esse, in vnu et experientia, que postea accedere de-
 bent, vnuce esse acquiescendum; num ita, non dicam literarum dignitati,
 sed utilitati cuiusque consultum est? Imo vero quum multa tempora incident,
 quæ hominem a statu suo deturbare et a consiliis olim captis reuocare pos-
 sint; quumque nemo mortalium omnem vitæ cursum cernat, et quo in ge-
 nere potissimum elaborare debeat, præuidere possit: profecto pessime aetum
 est cum iis, qui ad vnum genus omnem cogitationem suam contulerunt, reliqua
 remotiora prorsus contemserunt. Etenim miser homo pigritia sua coactus

in

in eo studio tenetur, quod proprius inspectum aut displicet, aut ipsius ingenio non aptum est. Quodsi parentes merito improbamus, qui liberos suos ad vita genus, a quo abhorrent, compellunt; quidni eos improbabimus, qui sua se pigritia vni rei, quam imprudenter elegerunt, quasi insigunt, et quod temere inceperunt, id infeliciter ad finem trahere cogunt? Si dolemus miseram eorum conditionem, qui aliorum iniquitate ad aliena coguntur; quidni miseratione dignos judicabimus, qui sua se culpa eodem in loco collocant; praesertim quum illi in aliorum duritie aliquid solatii, hi vero in pigritia sua grauissimam accusationem inueniant. Quid de iis dicam, qui in fortunio quodam aliquo sensu priuantur, ut obsurdescant, ut lingua impediatur, et quae sunt reliqua incommoda, quibus humana imbecillitas obnoxia est. Nemo non videt, orbatissimos eos esse et miserrimos, nisi contra fati asperitatem mature sibi praesidia comparauerint. Quamquam, quid haec extrema persequor. Maneat in sua vita quisque; pertexat telam quam incepit, num ita poterit, aut debebit in proximis et maxime necessariis acquiescere? Est in republica tanta munerum et honorum ad idem genus pertinentium varietas, ut si vel maxime constet, vtrum theologiae, an iuris prudentiae, an aliis disciplinis operam sit nauaturus: nemo tamen edicere possit, quodnam munus sit consecuturus. Nulla mihi vox videtur esse contemptior, quam eorum, qui, simulac animum ad studia applicant, quemadmodum nutrices infantibus dormitientibus occidunt, ita se dicto somniferro consopiunt: ego volo fieri unus — infima quoque ex quoque genere adiacentes. Laude iam dignus est, qui magna potest sperare. Is mihi optimus videtur, qui summa sibi proponit, et ampliori munere dignus, si fortuna parum benigna fuerit, in minoribus acquiescit; eum vero non ridendum, sed abominandum puto, qui vento nimium secundo ad ampliora euectus, iis imparem se reddidit pigritia.

Ita.

Haec tenus de ambiguitate et fallacia, quæ monitis eorum
inest, qui utilitatem crepant; restat, ut de obscurata literarum
dignitate dicatur, et omnis disputatio ad maturitatem scholasti-
cam transferatur; iam vero adiicere liceat eius viri auctoritatem,
cuius memoria mihi recolenda est. *GODOFREDUS HOFF-
MANNUS* dicere solebat (Vid. Vita eius pag. 373.) "Ein jun-
ger Mensch müsse dreyerley studiren. Erstlich etwas zu seinem
Nutzen, daß er sich ernähren und der Welt dienen könne; zum
andern etwas zu seinem Ruhme, daß er desto leichter zur Beförde-
rung gelange, auch sodann seinem Dienste ein besseres Ansehen er-
werben könne: Endlich was zu seiner Lust, das ihm zum Tro-
ste und zur Erleichterung in mäncchen Verdriesslichkeiten dienen
solle."

Eius memoriam autem ita celebrabo, ut de linguae graecae
scientia omni eruditio necessaria dicam, quam solemnitatem ut
*Senatus Magnificus, Sacrorum Ministri Venerabi-
les, Collegæ Clarissimi, et omnes omnino bonarum
literarum fautores* Sua praesentia ornatiorem reddere velint,
obseruantur rogare equidem volui

Dom. III. Advent. 1799.



Gf 4264.8

ULB Halle

002 160 943


3



sb

1018

n. C.



B.I.G.

Black

White

3/Color

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

Farbkarte #13

DIHOFFMANNI

ZITTAVIENSIS

LIM MERITISSIMI

ORIAM

VI. FEBRUARII

CCCC.

X. ANTEO MERO

J A T U R U S

NEM SOLEMNEM

ENE MERITORUM

EST OBSERUANTIA

INITAT

ERICUS GUILIELMUS RUDOLPH,

ZITTAV. DIRECTOR.

INEST

ADEMICAM MATIRO PARTIC. IV.

OTTLIEB BENIAMIN FRANKI.

109